



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Difficultatis 3. In quid per alios resolvatur hoc principium Sed id
Deus dixit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

verso. Et si communicaretur illi ratio principii, hoc ipso non esset iam obiectum, cui propter principium, fieret assensus. Jam autem per omnes, communicatur evidentia obiecto, per ipsummet principium. Hinc si à principio, communicaretur ipsi obiecto, ratio principii, destrueretur ratio distinctionis inter illa, quæ non destruitur ex communicatione evidentia, imò si principium communicaret suam certitudinem obiecto, non communicando identificatam realiter evidentiam, daretur in principio aliquid impossibile, nempe distinctio virtualis in ordine ad prædicata physica, qualia sunt communicare certitudinem, non communicare evidentiam, quæ cum illa est idem realiter: supponitur enim evidentiam, non esse meram denominationem secundò intentionalem.

Punctum Difficultatis 3.

In quid per Alios resol-vatur hoc principium: Sed id Deus dixit?

EXaminanda est iteratò hic mens Lugonis, qui ad hoc explicandum.

DOCET PRIMÒ. Quòd revelatio non sit tantum conditio sine qua fidei, sed aliquo modo ratio formalis, sive proxima sive ultima.

DOCET SECUNDÒ. Assensum huius propositionis: Id Deus dixit, esse immediatum, & ex apprehensione terminorum; non esse tamen evidentem, sed obscurum, licet sit certus.

DOCET TERTIÒ. Eum assensum elici ab habitu fidei: quia licet in naturalibus alius sit assensus principiorum, & alius Conclusionis, id tamen non procedit de habitu fidei; quia hic cum sit per modum potentia, idemmet, extenditur ad assensum principii, & Conclusionis.

DOCET QUARTÒ. Licet non sit necesse ad fidem, ut nobis obiectum illius immediatè reveletur, necesse tamen esse, ut proponatur tantquam alicui immediatè revelatum; loquente tunc nobis Deo per os illorum, qui mysteria revelata proponunt, & appellari potest Locutio Dei, hæc illorum propositio: est enim quasi locutio mediata Dei. Unde Psal. 40. dicit David: *Lingua mea calamus scriba.* Actor. 1. *sicut prædixit Spiritus Sanctus per os David.* Augustinus epistolâ 79. q. 6. Miracula loquelam DEI appellat.

DOCET QUINTÒ. Assensum qui sit mediatae revelationi, hoc est propositioni Parochi, esse immediatum, quamvis obscurum, dicitque eo casu, non fieri talem discursum: Omnis testificatio taliter facta est locutio Dei; hæc testificatio est talis. Ergò est locutio DEI. Sicut enim quando audio Petrum non discuro, omnis vox talis est vox Petri, sed comparo immediatè vocem quam audio, cum idea vocis Petri; ita comparo immediatè locutionem Parochi, cum

idea quam habeo de locutione mediata DEI. Concluditque nos quidem omnes, non credere propter immediatè nobis factam revelationem; possumus tamen credere propter revelationem mediatam: quia nobis hæc doctrina ex parte DEI proponitur, & quidem cum tanta evidentia, quam deposcit DEI locutio. *Hec explicatio*

NON SATISFACIT PRIMÒ. Quia hanc propositionem: Id DEUS dixit, & ponit esse ultimum resolutorium fidei, dicit enim illum assensum esse immediatum, & non ponit: quia resolvit hoc ulterius in propositionem Parochi, cum tanta evidentia propositionis, quæ non potest haberi nisi pro eo, quòd hoc DEUS dixit. Jam autem nec ipsa propositio Parochi est ultimum resolutorium: quia quæram, cur credis Incarnationem? quia DEUS dixit. Cur credis DEUM dixisse? quia Parochus proponit cum tali evidentia motivorum, quæ non potest haberi, nisi pro DEI locutione. Quæro ulterius: Unde id habeas, quòd iudices ita proponere Parochum sicut oportet ad propositionem locutionis Divinæ? ultimò id resolves in ideam quam habes de propositione debita locutionis Divinæ; en locutionem Parochi resolves in ideam; de qua ipsa idea quæro. An assensus illi propositioni, secundum quam iudicas, illam ideam esse ideam propositionis debitæ Verbo DEI, an inquam assensus illi, fiat per fidem, an per lumen naturale; si sit assensus, vi luminis Naturalis. Ergò fidem non resolves in aliquid Divinum & summè infallibile; si per fidem. Ubi obsecro est revelatio seu dictio DEI, de ista idea, viderisque relabi in circulum, quia DEI dictionem per ideam, ideam per DEI dictionem explicas. Tum quia de utroque illo, scilicet de idea & propositione Parochi quæro: An ille assensus sit evidens an inevidens? Si est evidens, cur obtruduntur illi termini, quòd scilicet proponatur mysterium cum tanta evidentia miraculorum, martyriorum &c. Neque valet si dicas, quòd illa evidentia se habeat nonnisi per modum conditionis, sine qua non; dicam enim etiam illam propositionem Parochi, habere se nonnisi per modum conditionis. Si autem illa propositio erit evidens, Ergò & assensus erit evidens: nam utrumque motivum & quòd DEUS sit verax, & quòd DEUS dixerit, secundum resolutorium suum ultimum, habent evidentiam. Rursus si ille assensus est evidens, resolves fidem in aliquid naturale. Imò resolves etiam in perceptionem sensibilem, & auditionem verborum Parochi, tibi propositorum.

Tum quia cum assentis illi propositioni; hæc est vera idea modi proponendi, qui debitus est propositioni Verbi DEI; ostende mihi unde illa propositio habet infallibilitatem, & meretur assensum infallibilem? Si ex tuo iudicio

dicio. Ergo resolvit fidem in aliquid naturale. Si ex Dei revelatione. Ergo das processum in infinitum. Nam de illa alia revelatione, quæ revelabat illam ideam redibit quæstio. Tum quia hic quæritur resolutorium universale, quod non est illa propositio Parochi cum tali evidentia. Nam est tanta excellentia Divinæ Majestatis, ut ei etiam non adferenti miracula credi deberet, modò aliunde prudenter judicetur dixisse, laudabilisque actus est: Paratus sum credere istis omnibus, modò mihi aliò medio constet Deum loqui, quem actum videtur eliciisse S. P. IGNATIUS, dum dicebat etiam si Scriptura periret, se crediturum ex iis, quæ sibi Manresa patefecerat Dominus. Tum quia quæ assumit Lugo dogmate quinto, non convincunt; nam quòd non discurret audiens vocem Petri, an sit vox Petri, id referri debet in evidentiam sensuum, qualem evidentiam non habeo in illa propositione Parochi, nisi velim resolvere fidem in experientiam sensuum: idemque dicendum est, cur non discurrat de albedine, quando video albedinem.

ADDO: Casu, quo aliquis nunquam vidisset albedinem, vel nunquam audisset vocem Petri, posset uterque discurrere, ut si illi dicatur qui nunquam vidit albedinem, quòd sit disgregativa visus, describaturque qualitas vocis. Sicut ergo in illis, negatio experientie de albedine, & voce Petri, fundat discursum; sic & negatio evidentie, tam sensuum quam principii ex terminis noti, fundare potest in fidei, discursum: An talis debeat esse propositio, nomine DEI.

NON SATISFACIT Secundò. Tum quia sicut non sunt multiplicanda Entia sine necessitate, ita nec rationes formales, & quòd potest esse conditio, vel applicativum, debet esse, ea serie contentum. Sufficit autem ut propositio Parochi, sit per modum applicativi: præcipue cum etiam iudicium antecedens de motivis credibilitatis, resolvatur in illam evidentiam, quòd est distinctum à fide. Cur ergo idem resolutorium utriusque erit? cum ipsa resoluta, quæ talia, sint distinctissima. Tum quia si quæram, cur credas Deum esse Trinum? respondebis: quia Deus dixit; unde constat quòd dixerit? respondebis: quia Parochus dixit cum evidentia debita verbo Dei; quæro cum Parochus interdum proponere possit, eadem allegando pro falso periuadendo, quæ allegavit pro verbo DEI, unde sciam, quòd id sit verum vel falsum? recurre ad revelationem. Ergo illa potius erit resolutorium, vel de illa ipsa quæram, unde constet quòd hoc Deus dixerit?

Tum quia hunc eundem medium terminum, urgendo, dici potest. Illa propositio cum tanta evidentia motivorum potest fundare articulum fidei, casu, quo res sit revelata, & convincatur audiens: interdum non potest fundare. Ergo hoc, quòd est propositionem illam esse ta-

lem, præter illam talem, aliquid plùs requiritur, & hoc potius erit resolutorium fidei. *Respondet si dicas.* Interdum etiam principis Lugo minime naturæ notis, non præbetur assensus, tamen principia; ita & illa propositio, erit ultimum resolutorium, quamvis illi interdum non præbeatur assensus. Non inquam valet: quia negatio assensus, oriretur ex debilitate ingenii, & ad illud probandum, non assumeretur quicquam, nisi sola inductio. Jam autem etiam prudentes, possunt negare propositionem Parochi, esse sufficientem & ad sufficientiam probandam non assumeretur Inductio, sed aliquid aliud: quòd à posteriori monstrat, non esse illud ultimum resolutorium: nam ultimum resolutorium quæ tale, in illo genere, nec à priori, nec à posteriori probari debet, sed esse ex terminis, in illo genere notum.

NON SATISFACIT Tertiò. Quia argumenta quæ sibi opposuit Lugo urgeri possunt. PRIMUM ARGUMENTUM est: quia si DEUS loquitur nobis mediante Parocho, deberemus illi credere sicut Prophetis, sequereturque Parochum habere infallibilem Auctoritatem in proponendo.

RESPONDET Lugo. Non habere Auctoritatem permanentem, habere tamen actuale, tunc, cum proponit cum sufficientibus motivis credibilitatis: ad Dei enim providentiam spectat, ne in illis quæ tali modò proponit, decipiat Auditores.

CONTRA est. Tum quia non rarò Parochus, proponit tanquam articulum fidei etiam ea, quæ errores sunt, ut indubiè contingebat, quando primum suadebatur V. G. Lutheranismus; potest item proponere tanquam articulum fidei, quòd nondum definivit Ecclesia tanquam articulum fidei. Ergo apparet non habere illos etiam actuale assistentiam infallibilem.

Tum quia quamvis immediatè non possit miraculum verum fieri in probationem erroris, potest tamen adduci in confirmationem doctrinæ falsæ, quòd tamen aliàs servit, ad proponendum articulum verum.

Tum quia spectat quidem ad Divinam providentiam eamque obligatam, ne omnes Magistri errent in proponenda doctrina fidei, erraret enim Ecclesia universa, nisi ad miracula recurratur. Sed non est obligata providentia DEI, ne hic Parochus erraret, quomodo ergo inferri poterit, habere illum infallibilem Auctoritatem actualem. Deinde hæc doctrina videtur supponere, quòd in Prophetis fuerit aliqua Auctoritas permanens, & tamen nullum est fundamentum id asserendi.

SECUNDUM ARGUMENTUM est, quòd sic proponi potest: Accipiamus testimonium Parochi, pro ut conditum ab immediata revelatione Dei, illud testimonium non est testimonium & dictio Dei, sed verè testimonium hominis. Ergo

R. P.
THE MLO
zianowski
Tom 1. e. 2
D. VI

vel resolvitur fides in aliquid humanum, vel propositio illa Parochi, non est ultimum resolutorium.

RESPONDET LUGO. Quod propositio Parochi, licet non denominetur à seipsa sola, testificatio Dei, ipsa tamen etiam prout condistincta à revelatione præterita Dei, est, denominaturque testificatio mediata DEI, hocque illustrat instantiis.

CONTRA est. Tum quia Nego illam propositionem Parochi, prout condistinctam à revelatione præterita, esse quæ denominetur testificatio mediata DEI. Nec id probat de Lugo. Sed dico esse testificationem merè humanam de objecto Divino, sicut testimonium testis, sequitur conditionem ipsius, & non conditionem ejus quod testatur. Tum quia Instantia quam addert de veritate propositionis non convincit. Nam quod propositio vera, quæ independentè ab objecto non habet veritatem, & tamen est vera, ipsa sola prout condistincta ab objecto, in id rejici debet; quia sola prout condistincta ab objecto, est conformis objecto: non enim objectum est conforme sibi ipsi; & tamen veritas in illa conformitate consistit: Jam autem nullum est tale fundamentum, ratione cujus, testimonium Parochi, præcisum à revelatione immediata, habeat prædicatum sui constitutum, in ratione testimonii DEI mediati.

Tum quia Instantia adducta de characteribus non convincit. Nam quando resolvitur fides humana in characteres, non resolvitur unquam tanquam in motivum formale, sed tanquam in effectum, & applicativum veritatis. Hinc si tener paritas, etiam testificatio Parochi, deberet esse effectus & applicativum motivi formalis, non autem motivum formale. Rursus quamvis characteres forent ultimum resolutorium fidei humanæ, non deiceretur adhuc fides humana, à gradu fidei humanæ, cum tam character, quam immediata testificatio, intra gradum humani consistat: cum autem testificatio Parochi, prout condistincta à testimonio Divino immediato, non habeat gradum Divini, fit ut si fides illi inniteretur, deiceretur à gradu fidei Theologicæ.

TERTIUM ARGUMENTUM est. Ille qui negat Parochum sufficienter sibi proposuisse mysterium fidei. Vel potest adhuc aliunde credere mysterium, verbi gratià ex propositione quam sibi facit, vel non potest. Si potest. Ergo apparet ut in ante urgebatur, non esse hoc ultimum resolutorium, & universale: vel habebitur fides innitens principio, quia DEUS dixit, non resolvendo illam in id, in quod deberet resolvi per Lugonem, nempe in propositionem fidei. Si autem non potest. Cur non?

RESPONDET LUGO. Verum quidem esse, quod non obligetur ad credendum aliquis, si

sibi sufficienter non proponatur, obligatur tamen ad credendum, si sibi sufficienter proponatur.

CONTRA est. Quia nihil apparet malitiæ si aliquis dicat, tu quidem sufficienter proponis. Sed ego propter tuam propositionem nolo credere, sed non nisi propter meam; est quidem malum si sibi sufficienter proponatur, nolle tamen credere: quia est simpliciter, nolle se subdere Deo attestanti; quæ subditio tota manet, si aliunde, & non ex propositione Parochi, movear ad assensum.

Punctum Difficultatis 4.

Fundamentum in Oppositum & variae Responiones.

FUNDAMENTUM hoc pro se assumit Lugo, nempe quod de Fide Divina, ita debeamus discurrere, sicut de fide humana; quod aliquot mediis probat. Fides autem humana interdum est assensus immediatus, & sæpè evidens, interdum obscurus & inevidens. Quando enim clarè audio vocem attestantis, quam aliunde optimè cognosco, videtur esse assensus evidens, quo judico Petrum verbi gratià loqui, aliquando verò est minùs clarus, ut si audiam vocem Petri distantis, vel videam Scripturam. Similiter ergo vox Dei loquentis, posset aliquando clarè & evidenter audiri, & tunc assensus ille esset immediatus & evidens de locutione Dei; plerumque tamen non ita clarè auditur, ut cum loquitur per Nuntios, & tunc quidem, licet obscure & inevidenter possumus tamen immediatè credere, illam esse vocem seu nuntium aut Scripturam Dei. Addit, quod sicut quando loquitur Deus, vel revelat immediatè alicui, aliquid objectum potest id facere per revelationem inevidenter cognitam, ita ut possit dubitari, an non sit illusio? Sic potest id contingere in revelatione mediata, potest enim homo formidare, an hic sit nuntius Dei; nihilominus hoc non oberrat, quo minùs inevidenter judicet homo, hanc esse vocem Dei loquentis, per illum nuntium; Sicut potest assentiri Deum dicere, quod putavit esse illusionem.

Sed Concesso fidem Divinam & humanam proportionari, inde non sequitur, quod propositio Parochi, sit ultimum resolutorium, de quo quærebatur. Deinde immeritò supponit fidem humanam resolvi in auditionem vocis: verè enim non credit loqui Petrum, quem audit aliquis. Sed certò physicè novit, habens notitiam intuitivam: nam ea quæ sensu percipiuntur, intuitivè noscit Anima. Immeritò item supponit fidem humanam resolvi in vocem vel characteres cognitos. Additum illud non convincit, nam quando dubito de immediata

(d) 3 reve-